

359

357

363

353

368

348

408

308

458

258

Ende

Anfang

348

ita, ut papa etiam spirituali gladio, censuris et sententiis in eos debaccharet, quae fulminatio nos plurimum perturbavit propter ambiguitatem et communionem in divinis; super qua re consultum habuimus quendam magnum patrem religiosum, qui noviter de Venetiis venerat, qui dixit nobis, quod nulli religiosi in civitate Venetiana, nec Carthusienses, nec Mendicantes, nec alii servarent interdictum, et quod non esset verum de hoc; sic ergo, licet cum formidine, eis nos conformare decrevimus.

Stabilitis ergo navibus inducti sumus in civitatem Coreyram, quam plenam armatis reperimus, et nec domum nec cibum reperiire poteramus, magna enim erat ibi caristia omnium, et propter bella et propter anni sterilitatem, quae ubique erat per totam Europam. Nam quando nos a nostris partibus egressi fueramus, fuit defectus panis in Suevia et Alsatia. Cum ergo nos peregrini circumiremus civitatem ut canes propter panem, venit quidam stipendiarius Teutonicus ad nos et misertus nostri duxit nos in quoddam pandocheum, et cum magna difficultate modicum panis habere potuimus pro offala. Vidimus tamen in publicis coquinis stare ignem ad ollas carnium et feruta cum assaturis et legalia carnium paramenta, contra Christianae religionis leges, quia dies illa erat jejunii dies, sabbatum quatuor temporum et vigilia beati Thomae apostoli. Excusat tamen forte necessitas et defectus panis et imminens bellum et populi multitudine et labor assiduus, et caetera, quae illi miseri patiebantur. Verum, et si non fuissent ibi armati, adhuc Graeci manducassent carnes non obstante ecclesiastica prohibitione. Prandio peracto reversi sumus in galeam sperantes nos illico recessuros.

Die XXI., quae est beati Thomae apostoli, et erat dominica quarta adventus Domini, cum sol ortus esset, aptabant naucleri navem, ac si vellent recedere, nec ausi fuimus ad officium Missae audiendum exire. Cum autem hora Missae pertransivisset, cessaverunt a labore et tempus recessus nostri non advenisse denuntiabant. Hoc auditio in barcam descendimus et ingressi civitatem omnes ecclesias clausas reperimus et in pandocheo praefato macraine offam pro nostro prandio sumsimus. Post offam in cathedralem ecclesiam ascendimus (b) ad orationem, et in suburbio ad ecclesiam Augustinorum, et ad ecclesiam fratrum Minorum ingressi orationi paululum institimus, Graecorum autem ecclesias

